



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quot testes requirantur ad legitimam probationem, & plenam fidem  
faciendam?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

pro quo fidei iussit, neque principalis debitor in causa sui debiti, cum ubique proprium interesse interuenit.

## §. X.

*An in causa Universitatis, vel Collegii is, qui est pars, vel membrum ejusdem, possit testimonium ferre?*

**R**espondetur affirmativè, juxta c. Insuper. 6. & in c. Cum Nuntius 12. h. t. quod verum est de Collegio, seu Universitate, tam Seculari, quam Ecclesiastica, ita ut quilibet in particulari, etiam si talis communitatis pars sit, in testem pro sua communitate admitti debeat, cum non ferant in propria causa testimonium, sed pro jure Universitatis, quod distinctum quid est à jure singulorum: Et quamvis ex tali pro Universitate testimonio commodum aliquod tales testes habeant, hoc tamen non censetur tantum, ut falsum depositurus in bonum suæ communitatis videatur talis honestus, & bonæ vitæ testis: quod si enim magna singulorum utilitas conjuncta esset cum jure Universitatis, illorum testimonium, qui magnam exinde utilitatem haberent, non audiretur, cum in effectu hi agerent de proprio commodo; prout etiam non admittitur membrum Universitatis in causa criminali in favorem Communitatis, aut in causa Civili valde ardua, ubi testes omni exceptione majores requiruntur; neque admittitur talis pars Communitatis in favorem hujus deponens, si valde parva sit Communitas, cum hi tales potius inter domesticos numerandi sint.

De Episcopo verò aut alio Ecclesiæ Prælato dici quidem potest, quod in causa suæ Ecclesiæ vel Monasterii in testem admittendus sit, prout patet ex inscriptione c. Insuper 6. h. t. Si tamen Prælati Procuratorem in judicio constituat, qui suo nomine agit, non potest esse in ea causa testis, cum in tali causa actor principalis ipse Prælati habeatur, & consequenter, neidem sit actor & testis, admitti in testem non debet, sicuti nec admitti debet in testem, casu quo Collegium non habeat, sed solus administrat, & solus agat, vel agat de redditibus suæ mensæ.

## SECTIO II.

*De numero, juramento, & depositione testium.*

## §. I.

*Quot testes requirantur ad legitimam probationem, & plenam fidem faciendam?*

**O**rordinariè ad probationem rei gestæ requiruntur, & sufficiunt duo testes idonei, & omni exceptione majores, tam in profanis, quam Ecclesiasticis, tam in Civilibus, quam in Criminalibus causis, prout ex capite 17. & 19. Dentronomii habetur, & ex c. In omni 4. & c. Licet 23. h. t. Sunt quidem aliquæ causæ, in quibus de jure plures, quam duo, aut tres testes requiruntur, prout etiam patet ex Can. 2. junctâ Glosiâ V. Præsul. Caus. 2. q. 4. De consuetudine tamen hodie non omnia observantur: & quantumvis hac in re quoad numerum tes-

R r 3 stium

## De Iuramento Testium.

stium requisitorum multa possit consuetudo, non potest tamen facere, ut unus testis, cuiuscunque sit dignitatis, plenè probeat, cum talis consuetudo apertam occasionem præberet multis calumniis, perjuriis, iniquis oppressionibus &c. nisi gravis valde necessitas, aut evidens utilitas consuetudinem talem, aut statutum tale exigeret, prout de facto in causis judicialibus levioribus, nihil tertio præjudicantibus, in causis summariis, in causis quibusdam non judicialibus; cum agitur de evitando peccato; in denuntiatione inhabilitatum ad Ordines suscipiendos, vel ad beneficia Ecclesiastica obtinenda; ad probandam Rei innocentiam; vel casu quo partes consentiant, ut unico testi plena fides habeatur; vel hic sit Officialis, ad denuntiandum constitutus; vel de proprio actu testetur &c. unius testis testimonium sufficit; in genere tamen etiam dici potest, quamvis unus testis plenam fidem non faciat ad causam decidendam, si tamen sit omni exceptione major semi plenè probat, de eo quod in iudicio deponit, & sufficientem præsumptionem facit ad inquirendum, citandum, & torquendum etiam reum, & conjunctum cum aliis iudiciis & præsumptionibus plenam fidem facere potest saltem in civilibus causis; & quamvis unicus testis, etiamsi fide dignissimus sit, testis omnino inhabilis defectum non suppleat, putant tamen aliqui per unius superabundantem fidem aliorum testimonium minorem habilitatem suppleri posse, quia quod imperfectum est, per aliud suppleri potest, non autem quod omnino nullum est.

Quod testis non jurati qualibet modo ille sit, testimonium nihil probet in iudicio, ex utroque jure patet, *L. 1. de iurandi 9. Cod. h. t. c. Nuper 51. h. t. &c.* ad teste, antequam deponat, juramentum exigitur non calumnie, sed veritatis. Et quod nec pretio, nec amore, nec odio, nec terrore, nec ex alio simili motivo moveatur ad testimonium dandum; & quod depositiones suas ante eorum publicationem nemini sit revoluturus. Et quamvis in quibusdam criminalibus ea praxis observetur, ut testium depositiones fiant, antequam ab eis juretur, moneantur tamen exprime, ita deponant, ut possit postmodum depositiones suas juramento confirmare, depositio taliter facta nunquam ad sententiam ferendam (in re alicujus momenti) inducet iudicem, nisi juramento depositiones illæ fuerint confirmatae, & quidem in iudicio, non extra illud. Debet autem testium juramentum esse corporale tangendo Evangelium, nisi consuetudo aliam praxim duxerit, aut specialia alicubi privilegia personarum aliquarum habeant, ita ut illis non juratis credendum sit. Potest tamen etiam ab adversa parte, contra quem testes producuntur, si exprime consentiat, remitti hoc juramentum, ut constat ex *c. Tuis 39. in 1. a. Gloss. V. de mittatur h. t.* (cum suppliciter assertio in proprium præjudicium contentum esse possit, in cuius favorem juramentum hoc introductum est) exceptis causis criminalibus capitalibus, & causis ma-